

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema CIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

## THEMA CIV.

IONÆ 2.V.7.

*Eduxisti ab interitu vitam meam, Domine Deus meus.*

## DISPOSITIO.

Hæc verba sunt pars preceationis illius, quam composuit Jonas Propheta, loco admodum mirabili & infausto, in abyſſo scilicet maris, cum caput opertum iuncis eſſet, cum ad extrema montium descendisset, & vectes terræ ipsum cõclusissent, (vide v. 6. & 7.) videlicet in ventre ceti illius, qui ipsum ex mandato diuino deglutierat. Nota enim vobis omnibus est historia, quomodo Jonas Deo inobediens, & vocationem datrectans, nauem conscenderit, per mare nauigaturus: at singulari Dei consilio oborta horribili tempestate, tandem nautis culpam confessus, & volens in mare ab ipsis proiectus, atq; tum (vt diximus) mandato Dei à ceti ingenti exceptus fuerit.

Cum itaq; stupendo & in audio miraculo, tribus diebus & noctibus incolumis fuisset seruatus in ventre ceti, Dei bonitatem agnouit, & sua oratione laudauit Dominum misericordem & omnipotentem. In illa oratione primum recenset periculum, in quo fuerit, dum hæretet in ventre ceti.

Deinde subiungit eum, quem prælegimus versum, in quo prædicat auxilium Domini. Hunc tantum hac vice tractandum suscipiemus: primum singula verba examinando. Deinde subiungendo doctrinas.

[NOTA. Historia Jonæ, & oratio, ex cap. 1. & 2. supra sunt pertractata, in Appendice Classis VII. Casu VIII. De percuntibus in aquis. Pagina I. partis Promptuarii 643.]

*Textus.*

Paucula admodum sunt verba, sed valde emphatica.

1. Pri<sup>o</sup>

1. Primum enim interitus facit mentionem, cui vita illius fuerit proxima. Quid enim sperandum in abyſſo maris, & in ventre piſcis: in illis tenebris, ſqualore & foetore? Non eſt homo qui poſſit effare illam anguſtiam & miſeriam, quam Jonas expertus eſt, dum per dentes trabales, intra coſtas & viſcera immanis beluæ, variis intorſionibus fuit abreptus. Vere itaque vita illius ab interitu non procul abſuit.

2. Tamen eruiſti ſeu eduxiſti me. Singularem enim & ſtupendo atq; infando miraculo, non tantum tor diebus & noctibus viuus atque incolumis fuit conſeruatus qui naturaliter vix vno momento in ventre ceti potuiſſet viuere: Sed maiori miraculo per viſcera piſcis reuerſus, & illæſus ad terram à piſce ciecitus fuit.

3. Ideoque non ait, me eruiſti aut eduxiſti, ſed vitam meam, inquit, eduxiſti, de qua iam actū penitus videbatur. Quis enim ex omnibus hiſ, qui me in mare proiec- tum nouerant, credere aut cogitare potuit, me viuum in terram reuerſurum poſt triduum?

4. Quod autem viuo adhuc illæſus, id omne nec mihi, nec piſci, nec cuiquam hominum, vel Angelorum acceptum ferre debeo, ſed tibi vni ſoli *Domino & Deo meo*. Tanta tua eſt potentia, vt potueris non mare tantum commouere, ſed (qui feciſti grandia cete, vt coram te in mari ludant, *Psalm. 104. v. 26*) tu piſcibus etiam potuiſti mandare, vt facerent voluntatem tuam, me excipiendo, ſeruando & exſpuendo. Tanta tua bonitas, vt me viuum triduo conſeruare in piſce, & ex morte præſentiſſima in vitam reuocare, atque viuum ad terram reuerti ex abyſſo maris, volueris.

Tibi igitur, omnipotens, æterne & miſericors Pater, Domine *Deus*, tibi vni ſoli gratias debeo immortales, &c.

## L O C I.

Non propter Jonam tantum hæc ſcripta ſunt, ſed  
Pau.

Paulo teste, Rom. 15. propter nos, vt doctrinam, consolationem & spem indpetamus.

I. Primum itaque docet nos hic locus, quanta sit Dei potentia, qui ex ipso presentissimo interitu possit liberare: etiam ex abyflo maris & ex visceribus piscis reuocare, quos vult. Ideoque ipsi vni soli laudem omnipotentie tribuendam. Et agnoscendum, quod is sit *Dominus & Deus noster*.

Sicut verbis iisdem, plane Thomas bonitatem & omnipotentiam Christi pradicat, Dominus meus & Deus meus Joa. 20. v. 28. Non itaque Dei potentiam rationibus humanis metiri conemur. Nec ipsi quicquam impossibile esse putemus: sicut satelles ille Regius, 2. Reg. 7. v. 2. Contra Angelus Luc. 1. v. 37. Non est impossibile omne verbum.

II. Discimus & hoc, esse obseruandum morem Domini, qui plerumque non prius iuuat, quam vbi de omni auxilio humano est conclamatum: & cum res in acie nauacule versari videtur. Non potuissent omnes creature sub caelo Ionam extrahere viuum.

Idem patet ex historia maris rubri, Exod. 14. v. 10. I. Samuel. 23. v. 27. & aliis multis. Et hoc est, quod spem illam in nobis fouere, & accendere atq; augere debet, quæ non confundit, Rom. 5. v. 5.

III. Consolationem etiam hinc maximam petere licet quod Deus ex omnib. periculis & malis sit liberaturus: sicut oramus. *Liberanos*: & Paulus semetipsum hac ratione solatur 1. Tim. 4. v. 18. & David, Psal. 34. v. 23.

Maxime hoc etiam in morte valet Est enim hæc Ionæ historia non tantum resurrectionis & mortis Christi typus, Math. 12. v. 40. sed & omnium Christianorum.

Sepulchrum est venter illi ceti. At terra nos cogetur viuos expuere suo tempore, Apoc. 20. v. 13.

Et qui non conseruantur, viui corporaliter spiritualiter tamen semper conseruantur, & liberantur: vt viuat anima, & corpus quiescat, sicque ab interitu simus tuti in æter-

æternum, Johan. 5. v. 24. Ergo non timendum: quia Deus  
Dōminus noster, Psal. 73. v. 25.

F I N I S.

T H E M A C V.

Sap. 2. v. 23. & 24.

*Ad vitam æternam Deus creavit hominem. Et. Invidia autem Diaboli mors introducta est.*

D I S P O S I T I O.

In omni homine duo considerantur, scilicet principium  
& finis, id est, vita & mors Quorum hoc malum, illud vero  
bonum est. Hoc facit, vt homo cesset esse homo: illud  
vero facit, vt homo sit homo.

Quia vero vitam, quæ principium & bonum est, à Deo  
esse constat, multi in ea sunt opinione, finem quoque ho-  
minis, id est, mortem, quæ mala est, itidem à Deo esse. At  
quia Deus bonus est, & malo nunquam delectatur, mor-  
tem certe non fecit (vt Sapiens cap. 1. v. 13. disertis verbis  
innuit) sicut vitam. Quia omnia, quæ fecerat Deus, valde  
erant bona, Genes. 1. v. 31. Ideoque vindicat hoc loco Sa-  
piens honorem Dei, insigni hac sententia: asserendo,  
Deum quidem causam & auctorem vitæ esse: mortis ve-  
ro alium esse auctorem, Deo plane aduersum.

Hanc itaque sententiam excutiemus, & ordine de au-  
thore vitæ atque mortis sic dicemus, vt ista omnia ad v-  
sum nostrum aliquid conferant.

I. PARS.

Sic autem refert Sapiens. Deus creavit 1. hominem. Id  
liquido constat ex Gen. 1. & 2. Et fecit ipsum quidem ani-  
mam viuentem, ibid. v. 7.

2. Imo ad similitudinem suam fecit ipsum, sicut exstat  
consilium sanctissimæ Trinitatis, Gen. 1. v. 26. vt scilicet,  
sicut Deus non tantum iustus & sanctus, sed etiam im-  
mortalis est: sic etiam homo non tantum iustus & san-  
ctus, sed immortalis esset.